

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

ARTHRITIDE,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS

AC DIRECTORIS

SPECTABILIS DOMINI DECANI

AC

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE GRADU

RITE OBTINENDO

IN ALMA AC CELEBERRIMA

REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE

HUNGARICA

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

BERNARDUS KESTENBAND,

Galicianus Tarnopolitanus.

Thesis adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis
majori die Maji 1836.

PESTINI,

TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS,

IN PLATEA DOMINORUM N^{ro} 612.

Seinem vielgeschätzten
Gö n n e r,
dem Freunde und Verehrer der Wissenschaften,
H e r r n
B e r m a n B l u m e n f e l d,
widmet
die Erstlinge seiner Bemühungen,
als schwachen Beweis
der Verehrung und Dankbarkeit

Der Verfasser.

Arthritis ille morbus dicitur, in quo, post praegressas perturbationes digestionis et chylicationis, febris evolvitur, cui articularum inflammationes specificae, simulque urinae, bilis et materiae perspirabilis cutis secretio obnormis junguntur, qua quantitate imminuta processus reproductionis ita alienatur ut materia ossea deponatur in partes solido-molles, unde nodi, tophi arthritici formantur.

D i a g n o s i s.

Haec e prodromis, et morbi perfecte evoluti symptomatibus resultat.

1. Prodroma referuntur ad digestionem et chylicationem abnormem, partim ad harum partium passionem, in quibus sub morbi decursu affectio topica sedem suam habet principalem, partim vero ad irritabilitatis et sensibilitatis alienationem.

a) Digestio, chylicatio etc. in stadio prodromorum ut abnormes se manifestant per appetitum prostratum, flatulentiam, dolorem in regione epigastrica prementem, statum pituitosum, lingua impura, mucosissimo illinita, alvo morosa, rarius liquida, excrementis mucosis, urina turbida, mucosa, catarrho chronico organorum respirationis, vesicae et haemor-

rhoidibus mucosis a longo jam tempore aegrum vexantibus cognoscendum.

b) Passionem topicam in stadio prodromorum denotat sensus aliquis frigoris in artu affecto, venti ascendentis et descendentis, v. guttarum frigidarum deorsum cadentium, in quibusdam casibus, sensus gravitatis, tensionis et caloris^{a)}.

c) Irritabilitatis et sensibilitatis alienatio distinguitur animi morositate, pronitate majore in iram, affectionibus hypochondriacis, hystericis, menstruationis et haemorrhoidum anomaliis, pulsu irregulari.

Ad prodroma minus constantia pertinent: turgor venarum, dolor sub urinae missione et animus nimis elatus.

2. Arthritis perfecte evoluta ad a) Affectionem topicam et b) febrim huic affectioni respondentem reducitur.

a) Symptomata topicae affectionis sunt.

aa) Dolor plerumque subito ingruens, frequentissime articulos extremitatum superiorum aut inferiorum accipat, initio mitior, mox tensivus, terebrans, constringens, tandem lacerans et urens evadit, ita ut omnis attactus et motus partis affectae sit molestus, noctu exacerbatur, inquietudinem somnique fugam causat, die remittit.

bb) Rubor partis oritur, postquam dolor post 12—24 horarum durationem mitigatus est, coloris erysipelacei, limitibus insensibiliter desinentibus.

cc) Calor: hunc quidem aeger jam ante morbi evolutionem perfectam accusat, externe autem tunc

a) Chronische Krankheiten v. D. W. A. Haase. B. II. § 233.

tantum distingui potest cum rubor comparuerit, intensitas ejus aegri sensibilitati respondet.

dd) Tumor modo major, modo minor, volumen partis auget, estqueensus, durus et ruber.

ee) Functio impedita. Aeger artus affectos movere nequit, quin dolorem in artuculis atrocem percipiat: Siquē in pluribus simul articulis morbus sedem suam figat, immobilitas corporis totius locum habet.

b) Febris semper intensitati inflammationis articularum respondens, dolori semper sese associat; Incipit cum horripilatione, frigore et calore per totum corpus suffuso. pulsus initio frequens, duriusculus, serius mollior fit. In artu arthritide vexato pulsus fere fortior magisque vibrans, quam in socio, sed sano ^{a)}; quare in hoc pulsus explorandus, ne falsum de viribus iudicium feratur: cave, ne pulsus explorandi gratia brachium arthritide vexatum rudius prehendas aut flectas, Durante febris noctu cum dolore ingruente, urina minori quantitate excreta, docente analysi per Fourcroy et Vauquelin suscepta continet parum acidi phosphorici et adhuc minorem quantitatem urici ^{b)} cutis sicca, alvus clausa, sensibilitas exaltata, ita, ut strepitus minimus, lucisque moderatus influxus aegrum jam molestent. Versus horas matutinas febris et dolor remittunt, pulsus fit mollior rariusque vibrans, aeger in somnum incidit, sudore universali perfunditur, sicque crism exacerbationis superatae experitur; Durat autem talis exacerbatio 12 non raro 24 horis.

a) J. P. Frank de curandis hminum morbis epitome Lib. VII. P. II. p. 429.

b) Francisci Bene Elem. medicinae practicae Tom. III. p. 315. §. 250.

Arthritis, qua morbus acutus, pluribus hujusmodi exacerbationibus modo mitioribus, modo intensioribus, qualibet nocte recurrentibus constat. Quo magis febris ad inflammatoriam accedit, quo intensior est dolor, quo robustius, et aetate minus provectum est individuum, eo celeriores morbus observat decursus. In contrariis rerum adjunctis, et acuta A. per longius durat tempus, faciliusque in chronicam, fixam, et alios morbos posthuc transit. Sub morbi decursu normali, crisis post 14 — 21 dies sese insinuat symptomatibus topicae affectionis et febris sensim sensimque remittentibus, tandem ex integro disparentibus, rubor enim, calor et dolor disparent, nonnunquam in parte antea affecta desquamatio epidermidis et sensus pruritus locum habent. Desquamatio ut crisis inflammationis erysipelaceae cutis considerata est^{a)} Eodem simultempore observantur: sudor universalis, subinde crystalli parvae in cute, urina majoris quantitate cum sedimento albo-cretaceo, alvus libera pultacea, lingua depuratur, appetitus revertitur, somnus se insinuat, animus hilaris. Insultu semel superato, nonnunquam aeger a morbo liber manet, sed longe frequentius Arthritis evadit habitualis, initio omni tertio v. secundo dein omni anno semel v. bis revertitur, tandem continua, aegrum nunquam deserit, saltem aestate fervida mitioribus stipatur symptomatibus. Quo frequentius redit morbus, eo plures comprehendit articulos, quin imo et tales, qui prius a morbo liberi erant. Febris tunc mitior est, sed symptomata topica, quamvis minus intensa, magis protrahuntur, tandem illa penitus disparet, haec

a) Chronische Krankheiten v. D. W. A. Haase p. 286. § 236.

autem gravia inducunt vitia organica. Haec sunt momenta praecipua, quae A. chronicam ab acuta distinguunt.

Exitus Arthritidis.

His adnumerantur:

1. Sanitas integra. Haec quidem rarissime sequitur, cum probabilitate tamen exspectanda est, si individuum morbo correptum viribus polleat, si morbus rapidum habeat decursum, sique inflammatio genuina articulum organicis vitiis immunem comprehendat; ex his igitur apparet acutae tantum, minime vero chronicae Arth. hujusmodi exitum familiarem esse.

Probe tamen meminisse oportet, morbum semel superatum dispositionem in recidivam relinquere.

2. Arthritis saepe fit retrograda. Fit enim frequenter, ut arth., praesertim acuta, sub nocturnis febris exacerbationibus, refrigerio admissio, v. animi motu subito dispareat, inflammatio in articulis prius conspicua ad alias multo nobiliores partes migrat, inflammationesque metastaticas in his provocat, quae cum suis exitibus respectu praesagii, dignitatis multo majoris sunt, quam ipsa Arthritis.

3. Exsudatio, quae v. serosa v. lymphatica est. In hunc exitum A. magis quam in alium quemcunque prona est.

a) Serosa, acutae magis quam chronicae convenit, apparetque ut tumor oedematosus, mollis, articulum

morbose affectum circumdans, qui feбри sensim disparente et topica passione in articulo adhuc persistente, per aliquos dies remanet, cura vero congrua penitus tollendus.

b) Lymphatica, Arth. saepius redeunti, mitiori, tandem indolem chronicam assumenti propria est; Lympha exsudata ligamenta capsularia extendit, illa explet, sicque origini tuberculorum arthriticorum ansam praebet, quibus dein alia diversa mala provocantur.

Divisio Arthritidis.

Dividitur 1. Respectu Sedis

a) in Podagram, si articuli pedis morbo corripiantur, forma haec frequentissima est. *b)* in Chiragram, si articuli antibrachii. *c)* Pöchyagram, si articuli cubiti. *d)* Omagram, si illi humeri afficiantur. *e)* Gonogram si genu *f)* Rachyagram si articuli spinae dorsi; Huc etiam a nonnullis refertur Ischiagra, Malum ischiadicum ^{a)}

2. Ratione Decursus: in chronicam et acutam seu febrilem. Febris vero aut continua esse potest aut intermittens. Interdum sane febris intermittens arthritidis sub specie incidit, ut data die, et hora dolor artus corripiat, dispareat sub nopyrexia, cuius rei exempla apud Torti Werlhof Casimir habentur, nec

a) D. W. A. Haase ibid. p. 202. §. 212.

tamen quaevis arthritis periodica febrim sistit intermittentem *)

3. Ratione typi: in regularem et irregularem. A. regularis, perfecta vocatur, si decursum supra expositum et symptomata allata exhibet; quodsi A. hoc non praestet, irregularis, anomala dicenda; Hujus sequentes distinguuntur species:

a) A. atonica, haec tribuitur individuis ad Arthr. dispositis aut eam antea jam perpessis, in quibus praesentia prodromorum, in specie symptomatum digestionis laesae, et irritabilitatis morbose affectae, congestionibus modo versus caput, modo abdomen juncta conspicitur, quin tamen distincta sua forma morbus apparere valeat; Cujus rei causam in defectu virium organismi paroxysmum arthriticum producendi, invenire velunt b)

b) Arth. vaga, quae non unico loco adstricta est, sed inter plures articulos circumvagatur. Vaga etiam tum dicitur, si in articulis penitus disparsa, in partibus membranaceis et aponeuroticis antagonisticè inflammationis signa provocet. Huc Cephalalgia arthritica, Hemicrania, Odontalgia, Prosopalgia.

4. Ratione Complicationis: in Arth. simplicem et complicatam. Complicationes frequentissime occurrunt sequentes: Hypochondriasis, Morbi chronici Systematis vitae reproductivae, ut Dispepsia, status pituitosus, Haemorrhoides mucosae, fluor albus, Catarrhi chronici pulmonum, impetigines, tandem syphilis. c)

a) J. P. Frank De curandis hominum morbis Epitome Lib. VII. Pars II. p. 428.

b) D. W. A. Haase ibidem p. 295.

c) D. W. A. Haase ibid. 2 Band. p. 295 — 296 §. 242.

3. Syphilis; Haec inflammationem ossium causans ad articulos extendentem omnia symptomata Arthr. provocare valet.

P r o g n o s i s.

Arthritis ad seriem morborum pertinet, qui respectu prognostico magnae sunt dignitatis; etenim est morbus periculosus et non raro omnia artis conamina eludens. Periculum adfert summum, si partes nobiliores adgreditur, insanabilis fit, si chronicam indolem assumens, in articulis diversa vitia organica generat; His adhuc adnumeranda magna hujus morbi in recidivam proclivitas.

In specie tamen ea consideranda veniunt:

1. Forma Arthritidis; Acuta magis quam chronica in sui translationem prona est, hinc magis periculosa; sed citius crisi solvitur quam chronica, minusque in inducenda vitia organica proclivis.

2. Arthritis vaga et fixa; Vaga periculosior fixa est, cum illa ad caput, pulmonem non sine magno discrimine decumbere possit.

3. Causae Morbi: Arthritis a refrigerio ortum suum ducens prognosim dat laetiolem, quae restringenda in arthritide ab usu vini horni, acidi, cerevisiae non bene fermentatae, a mercurialibus originem repetente, illa enim acuta minorem plerumque invenit dispositionem, faciliusque hac solvitur, in qua contraria rerum adjuncta locum habent.

4. Constitutio et Aetas aegri: quo major adest dispositio in morbum, eo difficilior est cura. Aetate provecta Arthritidis praesagium minus est faustum, status enim inflammatorius magis latens in exsudationem indurationemque nititur.

5. Morbi frequens reditus. Qui enim Arth. semel superavit, post actionem vel levissimae causae, ab hac iterum salutatur.

b) Arth. regularis minus pertimescenda, quam irregularis; haec enim in alios Arthritide regulari multo periculosiores transit morbos.

7. Anni tempus, quo homo morbo afficitur. Experientia enim constat morbum facilius sanari tempestate sicca, quam humida.

8. Arth. extensio, num plures, aut tantum unus articulus morbo teneantur.

9. Absentia v. praesentia hujusmodi vitiorum organicorum in articulis, quae v. difficulter v. plane non removenda sunt.

T h e r a p i a.

Indicationes, quibus medicus in curando hocce morbo obedire debet sequentes fere sunt:

1. *Causae remotae, scilicet disponentes et excitantes removendae sunt.*

a) Raro nobis occasio est contra ipsas causas disponentes agere, plerumque fere semper status ab-

normis functionum vitae reproductivae invenitur, evolutioni Arthr. favens. Quatenus igitur status hic ex digestionis et chylificationis turbis initium sumens, per blenorrhoecas tubi intestinalis, pulmonum, organorum urinam se-et excernentium sese manifestant; eatenus etiam remedia digestionem corrigentia indicata sunt. Utiliter igitur adhiberi possunt remedia amara, tanninum, extractivum tenentia; horum remediorum extracta propter digestionem debilitatam in aquis v. tincturis aromaticis solvuntur. Magna utilitate adhibentur ea, quae praeter materiam extractivam amaram et tanninum, etiam oleum aethereum in se tenent, ut Cort. Cascariilae, Angusturae, Rad. Caryophyllatae, his, dum status pituitosus tubi intestinalis eminentior conspicitur, resolventia adjunguntur, ut: sal ammoniacus, tartarus emeticus refracta dosi. Diaeta magis roborans et aromatica ordinanda.

b) Momenta arthritidem immediate invitantia removenda. Hujus indicationis exsequutio regimine diaetetico rite observato absolvitur; Praecipua, quae illud constituunt, sunt: Vitet aeger omnes supra allatos influxus nocentes, studeat temperantiae, maxime ratione potus spirituosi et veneris usus; utatur diaeta moderate nutriente digestu facili; valedicat studiis immodicis in seram noctem protractis, eligat habitationem siccam, evitet moram in locis humidis, frigidis, cutim tegat vestitu laneo, ineunte vere, sero autumno, et hieme praecipue necessario.

Arthritidi originem suam ab usu potus acidi et acris repetenti, absorbentia conveniunt, quibus et tonica interponenda.

2. *Arthritis evoluta impugnanda qua articularum inflammatio topica, habito respectu morbi characteris et decursus. Cura igitur differentiam involvet, prouti Arth. acuta v. chronica erit.*

A) Arthritis acuta, pyretica omnia signa inflammatoria exhibet supra adducta, hinc sensu stricto methodum poscit antiphlogisticam; quum hujus morbi sedes sit in partibus membranaceis, mucosis, vitae inferioris, patet caute tantum cum sanguinis evacuationibus mercandum esse. Raris tantum casibus necessitas pro sanguinis evacuatione universali adest; nisi adfuerint coterporaneae inflammationes organorum aliorum, uti: Peripneumonia, Encephalitis, si fuerit individuum robustum, febris valida, morbus acutissimus, cujus origo a refrigerio, subito ad extremitates admissio, repetitur.

Evacuaciones sanguinis topicae per hirudines, cucurbitulas proficuae quidem sunt, ast magnam sibi expostulant circumspectionem, restringunturque tantum ad illos casus, in quibus topica inflammatio intensa celerem habet decursum magisque ad Synocham accedit. Momenta sanguinis evacuationem indicantia aliorum etiam remediorum antiphlogisticorum necessitatem adducunt, in specie: Nitri et salis ammoniaci, quae tamen hic minoribus dosibus exhibenda sunt. Acidorum et purgantium ad apparatus antiphlogisticum pertinentium usus in Arthritide absit, illa enim, qua causa occasionalis, morbum invitant, haec irritabilitatem organorum abdominis exaltantia, arthritidis evolutionem in articulis antagonisticè impediunt, ejusque ad organa abdominis transplantationem causant. Status tamen gastricus purgantium usum non solum

non interdicit, sed eum potius jubet, cautela tamen ea adhibenda, ut nonnisi mitiora adhibeantur, ut: pulpa prunorum, Tamarindorum, Electuarium lenitivum, Sal Seigneti, virtusque horum per clysteres adjuvanda. His simul diaeta antiphlogistica adjuvanda.

Gradu inflammationis mitigato, diaphoretica, ut: Spiritus Mindereri, Infusum et Roob sambuci indicantur, horum usu moderato crises salutare invitantur per urinam et sudorem.

Aliter se habet cum Arthritide acuta, cujus character inflammatorius, in minori et minimo gradu est, occurrente in individuis aetatis provectoris, morbum saepe perpepsis, iis in casibus sanguinis evacuationum et Nitri loco diaphoretica adhibentur, ut: spiritus Mindereri, Infusum et Roob sambuci, vinum antimonii Huxami, Ipecacuanha, dosi refracta. Spiritus C. C. succinatus, Rad. Serpentar., Camphor. Ultima quatuor tamen magis conveniunt iis casibus, in quibus morbus in febrim nervosam transire minatur.

Externa cura in Arthritide acuta consistit in eo, ut pars dolens moderato tepore foveatur, involvenda igitur linteo molli, sicco, moderate calido, delicatis suademus pro tegmine pellem leporinam v. Cygni, minus delicatis stupam cannabis. Vesicantia ad partem dolentem immediate applicata magis pro arthritide vaga acuta valent, quam pro acuta fixa^{a)})

B) Arthritis chronica in latente consistit inflammatione, in exsudationem, indurationem et in vitia

a) D. W. A. Haase ibidem. B. II. p. 309.

organica producenda nitente; huic maxime conveniunt remedia inflammationem resolventia, hinc transpirationem promoventia, evolutionem concrementorum impediunt, vasorum absorbentium actionem incitantia. Agunt autem haec remedia v. stimulo magis volatili, ut: Spiritus Mindereri, Spirit. C. C. succin. Serpentina, Camphora, Pulv. Doveri, v. stimulo fixo, ut: Gumi Guajaci. Assa foetida, Gumi Galbani, Lignum Sassafras, Antimonialia, Praeparata Sulphuris, Cicutae, Stipites dulcamarae, Extractum aconiti; illa stimulo volatili efficacia in arthritide chronica sed recenti, nondum habituali, haec in arthritide chronica habituali inveterata indicantur.

Laudatur etiam in hac arthritidis specie Herba Rhododendri Chrysanthi, quam celeberrimus Haase, cum Camphora et extracto Aconiti magna utilitate exhibuit *)

Ad externa remedia, quae latentem inflammationem resolvunt, referuntur 1) Ea, quae de acuta in externa cura dicta sunt. 2) Frictio moderata, inunctio oleorum, spirituosorum, aromaticorum, lotio partis affectae cum solutione Kali carbonici, hepatis sulphuris. 3) Balnea v. localia, v. universalia, cum sapone, cum hepate sulphuris v. Kali carbonico parata. 4) Emplastra diversa, ut Emplastrum de Cicuta, de Aconito, de Gumi Ammoniaco. Emplast. camphoratum. 5) Vesicantia, Electricitas, Galvanismus, Moxa et ferrum candens in Arthritide rarissimo adhibentur,

3) *Complicationum in A. praecipue chronica occurrentium ratio habenda.*

*) Haase chronische Krankh. B. II. p. 34. §. 251.

Frequentissimae sunt:

a) Debilitas muscularis, remediis roborantibus, inter quae china eminet. forma infusi, extracti, v. Decocti, et diaeta nutriente tollenda.

b) Debilitas organorum digestionis; huic occurrimus: extractis amaris cum antiarthriticis junctis. Remediorum amarorum usus, in casibus ubi praeparata sulphuris adhibentur, nunquam est negligendus, sulphur enim digestionem magno in gradu deprimit.

c) Blenorrhoea tubi intestinalis aliorumque organorum mucosorum exigunt antimonialia, ut: Sulphur. aurat. antimon. Kermes minerale, Tart. emet. dosi refracta, cum his simul proficua sunt: tonica, extracta amara, China.

d) Stases Systematis glandularum lymphaticarum et organorum abdominalium. Statui huic conveniunt: Antimonialia, Cicuta, Chelidonium majus, Digitalis purpur, Extractum aconiti.

e) Exanthemata chronica, contra haec in usu sunt praeter ea sub *d)* enumerata etiam stipites dulc-amarae. Lignum Sassafras, Rasura Ligni Guajaci, Praeparata Sulphuris. Externe: balnea sulphurea naturalia et artificialia.

f) Morbus haemorrhoidalis et syphiliticus, qui suo modo tractandi sunt. In syphilide tamen cum hac circumspectione, ut Hydrargyrum ad restringendos effectus noxios, camphorae, opio, extracto Aconiti jungatur.

Maxime celebrantur in curanda Arthritide thermae; non raro jam balneum ex aqua tepida proficuum est, sed effectus majores observantur a thermis sul-

phureis, alcalinis, salinis: ita effectu salutari adhibentur in Hungaria: Thermae Budenses, Magno-Variadienses, Trencsinienses, Szliacsenses, Mehadienses, In Austria Badenses, in Bohemia Töplizenses. In reliqua Germania Badenses, Wisbadenses, quae partim adhibentur ut Balnea, partim hauriuntur, et sic promovendo transpirationem cutaneam, urinae secretionem, conferunt ad sanandam Arthritidem.^{a)}

In Galitia, ad limites vasti Regni Russiae, in circulo Tarnopoliensi pagus a fundatore Lib. Barone de Konopka Konopkuwka nominatus existit, qui propter suam aquam copiosissimo sulphure, ferro et aliis salibus impraegnata, ab incolis hujus regionis in curandis diversis morbis, praecipue in Arthritide, magni aestimatur. Est locus in regione amoenissima montosa situs, in quo natura et ars commoditati et saluti hominum huc magno numero quolibet anno confluentium multum consuluerunt. Exactam ejus aquae investigationem chemicam et descriptionem quoad virtutem medicam Medicus practicus Leopoliensis clarissimus Mosing edidit. Mihi anno praeterito per integrum mensem ibi moranti aliquos aegros observandi occasio se obtulit, inter quos Arthriticus post usum hujus aquae in-et-externum per quatuor septimanas a malo liber esse videbatur, aeger prius fere medio anni lecto affixus tenebatur. — Puella scrophulosa de morbo multum mitigato gloriata est; — Plurimi exanthematibus chronicis affecti laeti ad paternos redierunt lares.

4. *Peculiarem attentionem meretur Arth. retrograda.*

a) F. Bene Elem. Medicinae practicae Tom. III. p. 328.

‡ In ea curanda sequentes fiant indicationes:

a) Inflammatio a parte nobiliore ad partem minus nobilem reducat. b) Inflammatio nova secundum suum characterem et individualitatem organi affecti tractetur. Primae indicationi satisfit remediis localibus irritantibus, rubefacientibus, uti frictione, pediluvii irritantibus, synapismis, vesicantibus, cucurbitulis ventosis, his non raro medicus scopum suum assequitur. Secundae respondent, (si nimirum Encephalitis, Pneumonia, Gastritis etc. sunt,) universales v. topicae sanguinis evacuationes simulque reliqua apparatus antiphlogistici remedia.

•• Convalescentiae periodus regimine diaetetico supra descripto, rite observato, absolvitur.

Theses defendendae.

1. Arthritis et Rheumatismus morbi sunt ab invicem differentes.

2. Intestinum coecum certo respectu, ventriculus intestinorum crassorum dicendus.

3. Corpus animale, quo vicinius origini, eo magis humoribus abundat.

4. Sicut venenum, ita et medicamentum non datur absolutum.

5. Sanguinis arteriosi cum venoso communio in homine adulto penitus negari non potest.

6. Qui inducitur per frigus et narcotica stimulus, mere negativus est.

7. Absente vi medicatrice naturae, medicus non sanat, sed curat.

8. Actio Camphorae in organa genitalia, digitalis purpureae actioni in systema vasorum similis esse videtur.

9. Formulae medicamentorum simpliciores exactiorem morbi diagnosim ostendunt.

10. Ars concinnandi formulas totius medicinae florem sistit.

11. Non tamen ex formula bene concinnata medici eruditio deducenda.

12. Symptomatum absentia non semper morbum sublatum denotat.
